



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 36. Silesia & Moravia a Torstensonio Suecorum Duce subacta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67406)

Sæc. XVII. navabat operam, hancque in rem pu-  
A. C. 1642. blicæ securitatis literas ad Principum  
vota Hamburgum transmisit, ut eas  
ibidem Daniæ Rex, utpote electus pa-  
cis arbiter, Regum Principumque Le-  
gatis die prima Decembris exhiberet:  
non deerant tamen quorundam Princi-  
pum Oratores, qui ad discutiendas  
hasce literas longius temporis spatum  
sibi indulgeri, certumque inchoandis  
Sessionibus tempus præfigi peterent.  
Batavi quoque novas ejusmodi literas  
ex ipsa Regia sibi transmitti, a Fran-  
cisco Melo Oratore Hispano postula-  
bant; ita nempe, quo ardentiore stu-  
dio Cæsar maturandæ paci insitabant,  
eo remissius lentiusque ceteri ad pa-  
cem festinabant.

## §. XXXVI.

*Silesia & Moravia a Torstensonio Sue-  
corum Duce subacta.*

Bougeant  
Hist. tric.  
bell. p. 1. l. 7.  
tom. I.

Postquam Bannerio fatis functo, Leo-  
nardus Torstensonius novus Sueco-  
rum Polemarchus cum sex recentis mi-  
litiæ millibus sese Hassis & Vinariensi-  
bus conjunxerat, cum Gebriando Co-  
mite convenit, ut hic cum Gallis suis  
in Westphaliæ irrumperet, ipse vero  
per Silesiam in Bohemiam moveret:  
Obstiterat rapido Suecorum cursum Fran-  
cicus

ciscus Albertus Dux Saxo - Lavenbur- Sæc. XVII.  
gicus, qui e Silesia Suecos prope exe- A.C. 1642.  
gerat, atque in Lusatia hosti pleraque  
ademerat præsidia. Actum fuisset de  
Suecorum rebus, nisi Torstensonius ad-  
juncto sibi Königsmarchio validum mi-  
litem in Sileiam inopino impetu efflu-  
disset; parem enim Lauenburgicus Dux  
hostem instare compererat, cum Tor-  
stensonius jamjam in Lusatia inferiore  
Luckenum, & Gabam urbes, in Sile-  
sia Gloggaviam, pluresque civitates  
qua vi, qua deditio[n]e subegisset, mo-  
tisque ad Schweinizium castris Cæsa-  
reos ad prælium provocasset: Enim-  
vero Lauenburgicus collecto milite  
Königsmarchium aggressus, eundem  
fugavit, atque ad Torstensonii castra  
rejecit; infausto tamen victoriæ succe-  
su; Torstensonius enim fugitivo agmi-  
ne auctus, cum Cæfareis prælium com-  
misit, in quo vix una pugnabatur hora,  
cum Cæfarei hostium numero obruti,  
victique tria suorum millia in acie, sex  
legiones in fuga amitterent, captis bis  
mille equitibus, quos inter Hanovius!,  
& quadraginta sex magni nominis Tri-  
buni, ac demum ipsem Lauenburgi-  
cus Dux, qui duplici vulnere saucius  
decima sexta post pugnam die seu de-  
cima Junii obiit: Parta hac victoria  
Königsmarchius Schweinizium dedi-  
tione,

Q q 5

Sæc. XVII. tione, & Nissam armorum vi expugna-  
A C. 1642. bat: Torstensonius vero Olomuzium  
principem Moraviæ urbem tertia jam  
impressione facta in suam redigebat po-  
testatem Antonio Miniato urbis Præ-  
fecto præproperæ deditiois culpam  
Viennæ posthac capite expiare coacto:  
Ita demum intra paucos Menses, ce-  
leritate & felicitate pene incredibili no-  
vus hic Bellidux universam fere Sile-  
siam & Moraviam subegit, & veluti  
deambulando depopulatus est. Inde  
tam insolitus Viennæ terror, ut Leo-  
poldus Archidux, & Pocolomineus  
collectis ad Brunam copiis Torsten-  
sonium e Moravia propellere statuerent:  
Nec omnino defuit animosis conatibus  
optati eventus prosperitas; Leopoldus  
enim Suecis non una clade prostritis,  
Nissam recuperavit, necnon expugnato  
Olomutzio Suecos a Briganæ urbis ob-  
sidione depulit, promotisque in Bohe-  
miam castris hostem ab hujus Regni fi-  
nibus arcere sategit.

### §. XXXVII.

#### *Cæfareorum clades apud Lipsiam.*

Interim vero Torstensonius novis, quas  
Urangelius e Suecia adduxerat, sup-  
petiis auctus, in Saxoniam contendit,  
& Albi ad Torgaviam trajecto Lipsiam  
obse-